Presentibus et futuris notum sit ac manifestum quod ego Aldefonsus dei gratia rex Castelle et Toleti, una cum uxore mea Alienor regina et cum filio meo Ferrando, uendo uobis toti concilio Vallisoleti uillam que dicitur Sancta Eugenia, que est sita in alfoz de Cabezon, prope Sanctam Crucem et prope Loberuelam, pro duobus millibus aureorum, quos iam a uobis recepi, uobis et filiis et filiabus uestris et posteris et omni successioni uestre iure hereditario in perpetuum habendam et irreuocabiliter possidendam, cum terris, uineis, pratis, pascuis, riuis, molendinis, aquis, piscariis, cannalibus, fontibus, nemoribus, deuesis et cum omnibus directuris, terminis et pertinentiis suis, ad faciendum de ea quicquid uolueritis, dando, uendendo, concambiando, impignorando, uel quodlibet aliud faciendo. Si quis uero hanc cartam infringere uel diminuere presumpserit, iram dei omnipotentis plenarie incurrat et regie parti mille aureos in cauto persoluat et dampnum quod uobis intulerit duplicatum restituat. Facta carta apud Sitam. Era M. CC. XXXVIII. II. nonas iulii.

Et ego rex Aldefonsus regnans in Castella et Toleto hanc cartam manu propria roboro et confirmo. Gundissaluus toletane ecclesie archiepiscopus et hyspaniarum primas confirmat.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Ardericus | palentinus | episcopus | confirmat |
| Martinus | burgensis | episcopus | confirmat |
| Martinus | oxomensis | episcopus | confirmat |
| Iohannes | conchensis | episcopus | confirmat |
| Brictius | placentinus | episcopus | confirmat |
| Comes | Petrus | | confirmat |

Rodericus Guterrii maiordomus curie regis confirmat.




Didacus Lupi de Faro alferiz regis confirmat.

| | | |
|---|---|---|
| Gomez | Garsie | confirmat |
| Ordonius | Garsie | confirmat |
| Petrus | Roderici | confirmat |
| Egidius | Gomez | confirmat |
| Willelmus | Gozaluez | confirmat |
| Lupus Diaz | merinus regis in Castella | confirmat |

Magister Michael domini regis notarius, Guterrio Roderici existente cancellario, SCRIPSIT.

Ayuntamiento de Valladolid
Archivo Municipal